



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IV. An electio facta in ultimo instanti in quo vrget executio finis, quæ
potuit in anterioribus liberè fieri, in hoc ultimo facta, libertatem amittat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

electionis necessitas, ex intentione, & cognitione necessitatis medijs pro instanti, quo finis est executioni mādāus. Inquit Salas n. 45. quid contingeret, si quis efficaciter amans Deum iudicaret erroneè, necessarium esse odium Dei, vel cessationem ab amore Dei esse necessariam ad consequentem talis finis. Respondet ex Geruasio, illum efficaciter electurum esse tale odium, non tamen illud esse executionurum, quia ipsa intentio, amor videlicet Dei, impedit executionem talis medijs. Nō acquiesco solutioni, quia adhuc existimo, compossibilem non esse in voluntate actum, quo quis velit odio habere Deū, & cessare ab illius amore, cū actu amoris liberè elicit. Resp. in primis casum impossibilem apparere, quia cuiusque rustico extrema contradictoria expressè cognita, sicut esse, & nō esse eiusdem rei apparent inter se impossibilia, & repugnantia, tantū abest, vt vnum appareat vtile ad consequentem alterius: ergo non potest homini, quantumvis rustico, apparere vt vtile non esse amoris Dei, ad Deū amandum, neque minori repugnantia apparet vitilitas odij alicuius obiecti, ad illud efficaciter amandum. Quapropter cōfesso saltem moraliter impossibile esse, hominē ratione prædictam iudicare, vtile odium Dei ad ipsum Deum diligendum: sed quidquid sit de veritate casus. Resp. intentionem non obligare voluntatem ad omne id, quod iudicatur necessarium ad finem obtinendum, etiam si illud sit in potestate voluntatis, sed ad illud, quod necessarium apparet ad finem consequendum, & inferri potest, saltem tanquam effectus moralis proximus, vel remotus ex ipsa intentione; quapropter si electio cessationis amoris Dei, & ipsius odij Dei possunt esse effectus intentionis, quā Deus efficaciter amatur, in casu prædicto talis homo cessabit à tali intentione, & ex suppositione quod non cesset, intentio inferret electionem, quā voluntas velit cessare ab amore, & odio habere Deum; quod si talis electio inferri non possit ex illa intentione, quod verius iudico, non ex eo quod vtilis appareret ad finem intentum, intentio ad illam eliciendam determinaret voluntatem. Hac ratione dixi intentionem non posse determinare immediatè ad electionem materialem, etiam si ex se vtilis sit ad finem.

PUNCTUM IV.

An electio facta ultimo instanti, in quo vrget executio finis, que potuit in anterioribus liberè fieri, in hoc ultimo facta, libertatem amittat.

STatui, electionem exercitam ante instanti, in quo vrget executio finis, esse liberam, quia potuit in illo instanti non esse, & omnia illa, quæ erant in duratione, in qua fuit elicta, componi poterant cum negatione illius. In examē voco sententiam aliam Patris Ruizij 1. p. de prouidentia tract. 2. disp. 8. sect. 11. ubi affirmat varietatem, & multiplicatam partium temporis, in quibus exercendum est actus liber conciliare libertatem cum prædefinitione vagā, & necessitate actus exercendi in hoc instanti, vel in illo, non solum pro instantibus præcedentibus vltimum, in quo vrget illius executio, sed etiam pro vltimo instanti, ultra quod nequit actus differri, quia etiam si in illo instanti actus sit necessarius, illius necessitas non est præcisè ab aliquo intrinseco voluntati inhaerente suborta, sed ab extrinseco deuoluta, quæ quidem necessitas non opponitur libertati. Sic respectu intentionis, quæ obligat ad electionem intra hoc tempus faciendam, in hoc, vel in illo instanti vagè philosophari liceret, si verū teneat doctrina à Ruiz. tradita, eadem enim est necessitas orta à prædefinitione, seu ab electione antecedenti, quoad inferendam necessitatem actus, si vtraque tempus determinatum illiusque partes, in quibus potest actus prædefinitus, seu ex intentione illatus exerceri, vagè & indeterminatè respiciat.

Neutiquam placet hæc opinio, quia si intentio, seu prædefinitio antecedens, infert necessariū actum faciendum in his quatuor instantibus, cum iam tria transierunt, & ad vltimum deuenitur, nulla est libertas ad talem actum faciendum, vel non faciendum, quod sic probō. In illo instanti, supposita intentione (idem est de intentione, ac de prædefinitione, de qua disputat Ruizius) electio non est indifferens: ergo necessaria, non necessitate consequenti, quia hæc necessitas oritur ab ipsa intentione & à cognitione

instantis iam existentis, in quo vrget executio finis, quæ omnia electionem antecedunt, cognitio, & intentio, tanquam causa, existentia temporis tanquam quid independenter ab ipso actu secundo electionis, seu ab ipsa electione: ergo est necessitas antecedens, quod autem sit deuoluta ab extrinseco, vt ait Ruizius, nihil ad rem, quælibet enim necessitas antecedens, siue intrinseca, siue extrinseca, libertatem destruit.

Respondet Ruizius: determinationem in vltimo instanti actus, qui potuit liberè in prioribus exerceri, oriri ab omissionibus præcedentibus in instantibus anterioribus, quæ liberæ fuerunt respectu voluntatis, quia si voluntas in prioribus instantibus, quibus potuit exercere actum intra certum tempus præfinitum exercuisset, non teneretur illam in hoc instanti exercere. Hac ratione potest defendere Ruizius, hominem auidum propria vitæ defendendæ, omnia tentantem media, vt inimicum inuadentem fugiat, liberè mori, quando ab illo violenter comprehenditur, & nihil ipsius impediens resistentia, enecat, quia necessitas eius necis dependet ab omissione ipsius necis, quam in instantibus præcedentibus potuit idem homo sibi indulgere, quia si ille se ipsum liberè enecasset, antequam ab inimico comprehenderetur, non postea ab illo mortem receperit. Sic philosophatur Ruizius in præfenti: si voluntas liberè eliciuisset hunc actum in instantibus præcedentibus, non cogereetur in hoc instanti illum elicere, ergo necessitas illum eliciendi in hoc instanti oritur ex determinatione voluntatis: ergo componitur cum libertate. Sic omnis homo, qui aliquando se ipsum interimere potuit liberè moritur, quando repente corruente domo, obruitur, vel ætissima febris, nullo præstante remedio, maxima animi lætæ, vita eripitur, quia si antea liberè non omisisset propriam inflectionem mortis, non postea ad has illius inexcusabiles angustias perueniret.

Respondeo, necessitatem actus non provenire ab omissionibus præcedentibus, tanquam ab aliquo conducente ad actum hic, & nunc efficiendum, licet verum sit quod si illæ non præcessissent, non esset actus modo necessarius, quia si voluntas liberè se determinasset in vltimo instanti, intra quod actus erat exercendus, necessarius non esset ex vi intentionis, seu ex vi prædefinitionis pro illo instanti, hoc tamen non sufficit, vt hic, & nunc actus necessarius non sit, quia et si illius necessitas potuit exercitio libero eiusdem præueniri, & declinari, & aliquando ab omissione illius dependeat, non dependet ab omissione, tanquam ab aliquo inclinante, seu determinante ad actum, neque per se ad actum conducente; quia omisio actus per se non est causa illius; neque ad illum inclinat. Sed demus, actum dependere ab omissione libera, ex hoc non inferatur, esse liberum in se, sed in sua omissione, sicut necessitas electionis oritur ex intentione libera; ex quo non inferatur, electionem esse necessariam in se; sed in intentione.

Arguit Ruizius: In instantibus præcedentibus vltimum, in quo constat exercitium actus, talis actus liberè efficitur: ergo in vltimo liberè elicitur. Probat consequentiam, quia in omnibus instantibus eodem modo se habet voluntas: ergo si aliquo instanti liberè elicit actum, in omnibus illum eliciet. Ad hoc argumentum respondi punct. præcedenti, ubi dixi in instanti vltimo, esse diuersam cognitionem in illum, vel saltem diuersam temporis circumstantiam, quæ posita, tanquam conditione, voluntas libertatem amittit, quam antea habebat.

Arguit deinde Ruizius. In vltimo instanti temporis electio est necessaria, non absolutè, sed ex suppositione, quod non fuerit facta in prioribus: sed in primo instanti, etiam est necessaria ex suppositione, quod non sit faciendū in posterioribus: ergo eadem est necessitas electionis in primo instanti, & in vltimo: sed in primo liberè elicitur: ergo in vltimo liberè elicitur. Præ oculis se offert disparitas suppositionis, quia suppositio omissionum præteritarum fuit iam posita extra causas, & in potestate liberi arbitrij. Præoccupat Ruizius hanc solutionem, & discrimen facit, atque nihil ad rem pertinere, quia vtræque suppositio in hoc conuenit, quod voluntas neutram suppositionem habet realiter præsentem, aut efficientem ipsam voluntatem, quia id, quod fuit, & id, quod erit, quæ non est. Conuenientiam hanc suppositionum Ruizius concedo,

concedo, verum tamen differentia, quam ipse admittit, plurimum ad rem conducit, quia id, quod est futurum, & non dum est, adhuc est in potestate voluntatis, & antecedenter possibilis est futuro, & negatio futuritatis; id autem, quod est praeiteritum, non est in potestate voluntatis, nec adhuc antecedenter possibilis est negatio praeiterationis.

7 Differentiam aliam suppositionum Ruizio assignabo. Procedit difficultas de tempore, intra quod actus necessarius est exercendus, & fieri potest, quia si actus esset praefinitus intra spatium vnius horae, & in dimidia vltima non posset exerceri, idem esset, ac si praefinitus tantum esset intra spatium horae dimidia, in cuius fine necessarius esset actus eligendus. Idem dico de delectione finis, cuius executio intenta est exercenda intra horam, quia si intellectus noscat, non posse talem finem exerceri in dimidia vltima, perinde esset ac si illa executio ex vi intentionis futura esset in prima dimidia parte, in cuius vltimo instanti urgebit executio finis, & electionis. Pono, electionem posse fieri in quolibet spatio horae, ad hoc ut videatur, non futura in posterioribus instantibus, necesse est supponi existentem in prioribus, ideo enim non est in instanti D, neque in sequentibus, quia fuit in instanti C, quod fin instanti C, neque in anterioribus fuisset, absque dubio esset in posterioribus. Unde suppositio non futuritatis in instanti D, neque in posterioribus concluditur, vel supponit existentiam eiusdem electionis in instanti aliquo precedenti instanti D: ex quo inferitur, necessitatem existentiae electionis in instanti praecedenti instanti D, ex suppositione negationis illius in instanti D, & in sequentibus, oriri ex ipsa existentia electionis ac proinde esse necessitatem omnino consequentem ortam ex suppositione eiusdem electionis, quae dicitur necessaria, necessitas autem existentiae quae oritur ex ipsa existentia, & necessitas illa quae omne quod est, ex suppositione quod sit, necesse est esse, optimè compossibilis cum libertate. Necessitas vero electionis in vltimo instanti, ex suppositione, quod non fuerit in prioribus, non oritur ex ipsa existentia electionis, neque ad hoc ut electio non sit in primo instanti supponitur futura in sequentibus; prius enim est, non esse in hoc instanti, quam esse futuram in posterioribus, ideo enim est in vltimo instanti quia non fuit in prioribus, non tamen ideo non est in prioribus quia est futura in vltimo. Unde haec consequentia: *electio non est futura in instantibus sequentibus primum instanti, ergo est in primo, est consequentia à posteriori, huc autem: non est in primo, ergo est in sequentibus*, est quasi à priori.

8 Arguit insuper Ruizius: Posita collectione hominum in mundo existentium, qui omnes aequè liberi sunt ad futurum, certum, & infallibile est, moraliter aliquos illorum futurum commissuros: reuelet Deus, homines illos, qui furaturi non sunt optimè, & infallibiliter consequentia inferitur: ergo reliqui furabuntur; & tamen liberè furabuntur, ergo infallibilitas vaga, orta respectu huius singularis ex reliquorum exclusione rectè cum libertate componitur. Resp. infallibilitatem vagam posse esse antecedentem, & consequentem, & hanc nunquam tollere libertatem, & huiusmodi esse infallibilitatem, qua inferitur, illos homines futurum commissuros, quia illa infallibilitas est moralis, quae non oritur ex aliquo antecedenti actus ipsos, qui moraliter dicuntur infallibiles, sed ex ipsis, qui moraliter dicuntur infallibiles; quia ex tot furtis, ad quae est libertas respectu tot hominum adeo diuersae indolis, inter quos plures sunt actibus furandi valde dediti, & affecti, penès miraculum esset, aliud quod non contingere. Adde, hanc infallibilitatem moralem, adhuc respectu vnius individui, vniuscusque actus determinati, cum libertate non opponi. Moraliter enim infallibile est, hominem avarum, & in extrema pecuniarum necessitate constitutum accepturum pecunias, quas ego illi gratis offeram, & nihilominus postquam illas obtulero, ille pecunias liberè acceptabit.

PUNCTUM V.

An electio procedens ex intentione efficaci, qua obligat pro tempore diuisibili, facta ante vltimum instantem, in quo urgeat executio finis, libertatem retineat.

1 DIXI, electionem necessariam ad finem obtinendum necessario procedere ab intentione finis, illam verò Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

quae necessaria non est, ut finis executioni mandetur, liberam permanere; ex hoc principio inferebam puncto praecedenti, posita electione materiali medij, concomitantè ad intentionem, electionem formalem liberam esse, quia illa posita, necessaria non est haec formalis electio, quia ex vi electionis materialis medium erit, & hoc posito, ex quacumque electione ponatur, aequè bene finis obtinebitur, posset tamen quis contendere, tunc electionem formalem possibilem non esse, quia si iam supponitur medium ex vi electionis materialis, formalis electio nullam poterit habere efficaciam circa illud. Resp. tamen effectum posse dependere à duplici actu aequato voluntatis, ac proinde effectum aequatè dependentem, ab electione materiali, posse simul dependere à formali electione, etiam si non indigeat dependere ab illa.

2 Secundò potest obijci: tunc electionem non esse simpliciter liberam, quia ex vi intentionis tenetur voluntas, electionem materiale, vel formalem elicere, & non potest ab vtriusque cessare. Respondeo vtramque electionem esse formaliter liberam & voluntatem non teneri vnam, vel alteram electionem efficere, quia etiam si ablata electione materiali, voluntas teneretur ad electionem formalem, formali ablata, nunquam ad materiale teneretur, quia intentio influere non potest in electionem materiale, ut probabam loco citato, ac proinde etiam si vilis sit ad executionem medij, non teneretur ad illam voluntas ex vi intentionis, quia ex vi huius non teneretur voluntas ad praestanda omnia, quae sunt utilia, & necessaria, & ab illa intentione procedere possunt. Ex hoc inferes: electionem materiale simpliciter esse liberam, & hac supposita liberam similiter esse simpliciter formalem electionem, quia supposita electione materiali formalis electio necessaria non est ad finem obtinendum, ac proinde ad illam non tenetur voluntas. Quod autem ablata electione materiali necessaria esset formalis electio, & ad illam teneretur voluntas, probat hanc electionem formalem non esse liberè elicendam, non verò de facto nunc liberam non esse, quia deficiente electione materiali, cognosceretur medium necessarium, & ex nulla causa exiturum independentè à formali electione, ac proinde ad hanc teneretur voluntas & ex vi huius cognitionis, & praedictae intentionis: existente verò electione materiali, etiam si medium cognosceretur necessarium cognosceretur exiturum ex vi electionis materialis, ac proinde si teneretur voluntas ad electionem formalem, sicut non teneretur, adhuc supposita intentione ad amandum medium, quod independentè ab illius amore, iam existens, supponitur.

3 Grauior in hac re alia suboritur difficultas, an posita intentione efficaci finis, & cognitione necessitatis medij nondum producti ad illum obtinendum, si ex illa intentione oriatur electio prius tempore, quam urgeat executio medij, an illa electio simpliciter absolute esset libera, etsi in vltimo instanti, in quo urgeat finis executio, & electionis positio, ipsa exercetur, eodem modo philosophandum sit. Dicam modò de electione exhibitā ante instantem, in quo urgeat finis executio, & postea de electione elicita in vltimo instanti in quo ex vi intentionis finis urgebat executio. Pro vtriusque parte non levis occurrat dubitandi ratio, vtramque expendam dum meam explicabo sententiam, & argumentis in contrarium satisficiam. Affirmo cum Patre Salas supra num. 40. & clariùs num. 46. pro eadem sententia possem referre Hurtadum Complutensem tomo de Incarnatione, disputat. 14. difficult. 3. numer. 16. & Patrem Didacum Ruiz. tom. de Providentia, tractat. 2. disputat. 9. sectione 12. numer. 16. ubi affirmant, opus praecceptum Christo à Deo, quod Christus omittere nequit, liberè fieri ab illo, ex eo præcisè, quod liberum fuerit Christo, hoc vel illo tempore opus praecceptum efficere, & non teneretur in hoc determinato tempore illud exhibere. Praedictam conclusionem sic probò: Intentio per se, neque cognitio necessitatis medij, non inducit electionem necessariam, quousque adueniat cognitio, qua cognoscam iam existere tempus, in quo secundum decretum intentionis urgeat executio finis: ergo si antequam adueniat haec cognitio, qua cognoscam expletum esse tempus, in quo urgeat executio finis, electionem elicam, illam exhibeo independentè ab illa cognitione, quae simul cum intentione necessitatem illius potest inferre voluntati: ergo omnino liberè. Probo consequentiam: tunc actus voluntatis est liber, quando procedit à principiis, quae componi